



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

26. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 41  
tur Ecclesia. [ *Vide lib. 3. Leg. Longob. tit. 1.  
cap. 47.* ]

De libertate Ecclesiarum. *Ex Capitularibus,  
titulo LXXXI.*

XXIV. Sancitum est ut unicuique Eccle-  
siæ unus mansus integer absque ullo servitio  
attribuatur, & Presbyteri in eis constituti non  
de decimis, nec de oblationibus fidelium, non  
de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta  
Ecclesiam positis, neque de præscripto manso  
aliquod servitium faciant præter ecclesiasti-  
cum. Et si aliquid ampliùs habuerint, inde  
senioribus suis debitum servitium impendant.

Lib. 1. Capi-  
tular. c. 91.  
Burchard. lib.  
3. c. 52.  
Vvalter. Au-  
relian. c. 9.

De termino Ecclesiarum. *Ex eodem,  
capite CXVII.*

Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia  
de quibus villis decimas recipiat.

Lib. 1. Capi-  
tular. c. 155.

De novis Ecclesiis. *Cap. LXXXVII.*

XXV. Statutum est de villis novis & Ec-  
clesiis novis ibidem noviter in eis constitutis  
ut decimæ de ipsis villis ad easdem Ecclesias  
conferantur.

Lib. 1. Capi-  
tular. c. 93.

*Item ex eodem, cap. v.*

XXVI. Quicumque voluerit in sua pro-  
prietate Ecclesiam ædificare, cum consensu &  
voluntate Episcopi, in cujus parræchia fue-  
rit, licentiam habeat. Veruntamen omnino  
providendum est ut aliæ Ecclesiæ antiquiores  
propter hanc occasionem suam justitiam aut  
decimam non perdant, sed semper ad anti-

Capitulare  
Karoli M. ad  
Salz c. 3.  
Burchard. lib.  
3. c. 7.



quiores Ecclesias persolvatur.

Item de manso Ecclesiæ. *Ex eodem Capitulari.*

Lib. 5. Capitular. c. 45.

XXVII. De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicumque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est Presbyteris cum sua lege restituere faciant.

De eadem re. *Ex synodo Meldensi capite LXIII.*

Concilium Meldense c. 63.

XXVIII. Secundum canonicam auctoritatem & constitutionem Domini Imperatoris Lodouici, de agro ecclesiastico & manso ac mancipiis, quæ ipse in suis Capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit Ecclesiæ, neque de decimis & oblationibus fidelium quemquam Presbyterorum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis aut dignitatis exinde quicquam subtrahat & redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communionem usque ad satisfactionem privetur, & regia potestate hoc emendare legaliter compellatur.

Item de privilegio Ecclesiarum.

Concil. Arelat. 6. c. 20.  
Lib. 2. Capitular. c. 36.  
Burchard, lib. 3. c. 9.

XXIX. Ut Ecclesiæ antiquitus constituta nec decimis nec ulla possessione priverentur, ita ut novis oratoriis tribuatur.